

inquit, *quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Quasi dicat: Nonne filius solet tractare negotia patris sui, ejus officinam terere, studia sectari? Qualia enim vos exempla liberis vestris demonstratis, tales aliquando constitutos videbitis. Ut enim proles communiter referunt vultum, incessum et gestum parentum: ita etiam amant, et sectantur eorum studia, ut docet experientia. Verum id multo frequentius contigit in vivendi ratione et moribus; quod enim vident in parentibus liberi, id pro regula acceptant, quasi pulchrum et æquum honestumque. Cerneris id erat in Rachele, quæ cum marito suo Jacob discedens e paterna domo nihil aliud sibi surripuit, secumque abstulit, præterquam idola patris sui; cum alia tam multa et utiliora suffurari potuisset e prædivite domo, Gen. XXXI. Nimirum vidit ipsa a teneris, quanto in honore et pretio semper idola illa, quantamque in illis spem habuisset pater: hinc illa eorumdem amore inescata, velut rem pretiosissimam, sibi que charissimam, ex omnibus patris bonis sublegit, eaque cum inquirentur, mordicus retinuit, super illa sedendo et stramenta injiciendo. Eodem prorsus modo, si non semper, saltem ut plurimum mores parentum imitantur filii, sive bonos, sive malos, et firmissime adhærent paterno vel materno ingenio. Viderunt eos aversos a catholica fide? Aversionem et ipsi concipiunt et retinent. Viderunt aleis et poculis addictos? Idem faciunt. Avaritiæ studuisse? Eidem operam dant. Impudicos fuisse? Et ipsi Venerem colunt. Hinc tam serio Deus præcepit Hebræis gentium regiones ingressuris, Exod. XXXIV. *Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis: ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ (per idololatriam) fornicari faciant et filios tuos in deos suos.* Saltant enim filii, sicut a parentibus cani audiunt.

VII. Venite subditi et servi. Quid vobis puer hic divinus prædicat? Monet ut faciatis voluntatem vestrorum dominorum, et versemini in iis, quæ ipsorum sunt, commodis ac honori eorum pro viribus studeo. Ait enim: *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* h. e. facere opera Patris mei, docere, animas lucrari, orare, domum ejus servare, et ab immunditiis expurgare? Sunt etiam domini vestri modo aliquo parentes vestri, quia sustentant, defendunt et amant vos, velut domesticos et familiares, adeoque amicos suos. Hinc servi Naamanis, non dominum, sed *patrem* appellant herum suum, IV. Reg. V. Et qui familiæ præest, *paterfamilias* vocatur. Vult igitur divinus hic concionator, ut etiam vos faciatis opera dominorum vestrorum, illorum bono et profectui, non vestro aut ves-

trorum, propinquorum vel amicorum studeatis, domus eorum servetis et defendatis ab omni injuria, etc. quod vel ipsum vocabulum (*ehehalten*, quasi dicas, servatores conjugii) indicat. Sunt enim servi ex sententia Aristotelis, instrumenta dominorum velut baculus viatoris, quo se et sustentat et defendit. Uti ego baculus id præstat homini, ad quod ab eo applicatur: sic et servi herorum exequi mandata, et agere negotia debent fortiter ac fideliter, etiam cum neglectu rerum propriarum et suorum propinquorum; quod sane docuit Christus, dum etiam matrem suam deseruit, et lugere permisit, ne domum Patris sui et negotium sibi ab eo demandatum negligeret. Præclarum hujus erga dominum fidelitatis exemplum edidit Alphonsus Petrus Gumannus, cum Tariffæ urbi Sanctii IV. Castellon. regis nomine præfectus esset, atque in ea Maurorum obsidione premeretur. Cum enim in eorum numero esset etiam filius Gumannus, produxit hostis ad muros filium præfecti; mox eum mactaturus in conspectu patris, ni is deditorem faceret. Verum tamen abest, ut ob hoc civitatem domini sui hosti traderet Gumannus, ut etiam e muris ei ensem dejiceret ad obtruncandum filium, dicens, nolle se, ut ei modus ad occidendum filium deesset. Itaque filium suum eadem animi constantia, qua gladium porrexerat, coram se occidi vidit, raro profecto fidelitatis exemplo, Fulgos. I. IV. c. VII.

VIII. Ad clausulam concionis, (quod fere solent) veniant domini et magnates, et vel parum secum auferant ex Christi concione, qui sane eos docet submittere se Ecclesiæ ejusque prælati, ut interrogati de vitæ ratione, præceptorum observatione, sæque conscientie constitutione, non tergiversentur, sed rationem reddant, seque aut excusent, aut accusent. Neque enim majores sunt Dei Filio, qui a matre interpellatus, cur parentes suos inconsultos deseruisset, humiliter respondit, seque ob urgentiorem cœlestis Patris voluntatem excusavit. Nimirum Christus Dominus et Filius erat Dei, et Filius erat hominis. Qua Filius Dei in actionibus suis theandricis independens erat a parentibus carnalibus: non autem qua Filius hominis, in actionibus mere humanis. Hunc in modum principes et magnates duas quasi personas sustinent; unam qua gubernant populum: alteram, qua gubernantur ab Ecclesia, velut oves. Quantumque enim sint, interim oves Ecclesiæ sunt. Quare si Ecclesia eos interroget: *Fili quid fecisti nobis sic?* Transgrediendo præcepta Dei vel Ecclesiæ, negligendo toties rem divinam, stata jejunia, dies festos, paschalem communionem, etc. te-

nentur responsum et rationem dare. Cogitent quid acciderit regi Ozia, qui cum adolendo incensum, sacerdotum munus invasisset, et ab iis redargutus non respondisset, sed minatus insuper esset; statim in fronte correptus lepra illicoque e templo profugus, regno etiam depositus, totaque vita sua solitarii et quasi exul fuit, II. Par. XXVI. Addit Josephus, I. IX. ant. c. XV. simul terram vehementer concussam esse, fissoque superne templo radium solis os regis improbum feruisse.

Superest nunc et concionatori huic divino cor aperiamus, ne frustra se laborasse jure conqueri possit. Neomystis solent ad altare munera offerri: concionatori nostro quid offeremus? *Fili præbe cor tuum mihi*, ait Prov. XXIII. Aperite ei corda vestra ad excipiendam ejus doctrinam, et magnum munus obtulistis.

## CONCIO II.

## QUOMODO LOQUENDUM, PRÆSERTIM LIBERIS CUM PARENTIBUS.

I. Loquantur suaviter et modeste. — II. Loquantur veraciter. — III. Parce seu paucis. — IV. Tarde et considerate. — V. Obsequenter. — VI. Sedate.

## THEMA.

*Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Luc. II.

Quid est audire, quod tam sero audiamus Christum Dominum loquentem, anno scilicet ætatis duodecimo? Numquid ante hanc ætatem semper mutus fuit? Vel cur non sunt scripta, quæ prius locutus est? Non dubium quin prius plurima locutus sit sed more puerili, ætati illi conveniente: anno primum duodecimo sapienter incipit loqui, et talia effari, quæ conscribi voluit ad instructionem nostram. Voluit enim indicare Dominus, linguæ perfectionem, quæ complementum vitæ spiritualis, multo labore et sero comparari. Quemadmodum enim lingua in embryone postrema animatur, et ad bene loquendum ultimo perficitur: (ante triennium enim raro infantes loquuntur, cum tamen alias functiones, sentire, comedere, ambulare citius adiscant: raro etiam lingua ita perficitur, ut omni nævo careat: alius enim blæsus, alius balbus, alius raucus est, etc.) sic etiam in moribus linguæ perfectio ultima et difficillima est, adeo ut S. Jacobus dicat: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir*, Jac. III. Quare cum Christus

doctorem linguæ se hodie, juvenibus maxime, exhibere voluerit, distulit verba sua nobis aperire usque ad hanc ætatem. Nunc docentem audimus. Loquantur ergo.

I. Suaviter et modeste, non ad contristandum, sed erigendum et consolandum auditorum. Ita Christus in hoc verbo audiens propter se amissum contristatos fuisse ac sollicitos parentes, quasi ipsorum culpa periisset, tristitiam et sollicitudinem eorum abstersurus: *Quid est, inquit, quod me quærebatis?* Quasi dicat: Nulla est culpa vestra, quod me amiseritis; nec erat quod solliciti propterea essetis; quia non est vestra incuria; sed ex voluntate Patris mei cœlestis ego retro mansi: quare omnem mororem ponite. Non ita Jacob patri suo locuti sunt filii quando monstrantes ei cruentam Josephi tunicam dixerunt: *Vide an tunica filii tui sit*, Gen. XXXVII. Non ita Augusta imp. patri suo, quando ab eo reprehensa ob conversationem cum lascivis adolescentibus, respondit: *Et isti mecum senescent*. Quasi diceret: Ubi senuerimus sicut tu, tunc etiam alios mores induemus, Macrob. auct.

II. Veraciter. Ita enim Christus respondet parentibus, id quod res erat, nimirum se mansisse ideo in templo, quia magis obstrictus esset Patri cœlesti quam terrenis parentibus; nolens blandiri eis cum veritatis oppressione. Jam licet semper turpe et peccatum sit aliis mentiri, magis tamen parentibus, quibus mentem suam sincerius aperire tenentur filii, velut ab iis dirigendi, et nequaquam illudere. Mendaces filii et parentum directioni se subducere volunt, et iisdem illudunt, quod vel ipsa natura instructive vidit et horruit Jacob adhuc puer, quando edoctus a matre ut se fingeret Esau, sicque benedictionem patris furaretur, renuit primo dicens: *Timeo ne putet me sibi voluisse illudere, et inducam super me maledictionem pro benedictione*, Gen. XXXVI. Id quod certe ex parte fratris contigit. Nam persuasus a matre mentitus est patri se esse Esau, licet veniali tantum et officioso mendacio, eo ipso tamen odium, non quidem patris, sed fratris incurrit, capitale et perpetuum, ita ut fugere eum cogeretur, nec facile amplius in aspectum ejus venire auderet, quod odium etiam derivatum est in utriusque posteros. Ita nimirum modica mendacii scintilla maximum excitat incendium et gravissimum malum. Unum enim mendacium de domo vel familia, præsertim religiosa, sparsum quantum damnum facit? Quot æmuli eorum applaudendo, alii indignando, imprecando alii graviter delinquant? Parum nivis pede commovit avicula quædam in summo

Defrisorum montium vertice, quæ deorsum sensim descendens, et in pilæ formam se revolvens semper aucta in tantam crevit amplitudinem, rotata usque in imum montis, ut oppida destruxerit maxima sua mole, teste Olao Magno, lib. II. c. XIII. Nix fuit mendacium Jacobi, et quod fœdus post destruxit inter Israelitas et Idumæos? Unde bene monet Ecclesiasticus, cap. II. *Noli velle mentiri omne mendacium; assiduitas enim illius non est bona.*

III. Parce seu paucis. Ita Christus paucis verbis se purgavit, et nullum verbum ultra addidit. Paucis enim ita satisfacit, et tam multa dixit, ut haberent parentes, quod accuratius expenderent. Sic ergo parce et solide loquendum, maxime liberis, ne videantur velle esse prudentiores parentibus, eosque docere; quod stultitiæ signum est, et merito ægre fertur a parentibus. Ne sint velut porticus illa septivoca, quæ una voce accepta reddebat septem, apud Lyeost. fol. CXV. in similit. Qui enim multa loquuntur, videntur causæ suæ diffidere, et cum primis parentibus turpitudinem suam foliis verborum velare velle, unde facile capiuntur in sermone, sicut purpura dum acutam et longam suam linguam extendit ad piscandum, et perforat cætera conchylia ad apprehensum capiuntur a piscatoribus, Pierius, lib. XXVIII. Plin. lib. IX. cap. LXXXIX. Aristot. de nat. animalium, l. VII. cap. XXXIV. juxta id Prov. X. §. X. *Stultus labiis verberabitur*, Chald. *capietur*. Sed a quo capiatur? A seipso primum, dum sæpe sui immemor contra seipsum, vel contraria loquetur. Deinde, ab ipso dæmone, qui et auctor est garrulitatis ac vaniloquentiæ simul et accusator. Id præstitit in quodam Franco de Germania, ut scribit, S. Hier. in vita S. Hilarionis, qui Constantii imp. candidatus ab ætate tenera a dæmone obsessus, Gazam ductus ad S. Hilarionem multa et Syra et Græca lingua quarum neutram didicerat, garriabat, et quo ordine intrasset, abbati exponebat. Verum sanctus: *Non, inquit, curo, quomodo intraveris, sed ut exeat, impero*. Sicque expulsus est. Viderint ergo qualem magistrum habeant garruli et vaniloqui. Quibus garriantibus etiam dici posset: Non curo quomodo hoc vel illud garrias, sed ut taceas, volo.

IV. Tarde et considerate. Sic enim Christus, cum duo ipsi proponeret mater: *Quid fecisti nobis sic? Ego et pater tuus, etc.* non respondit statim ad primum, nec interrupit sermonem matris, sed expectavit donec absolveret, postea loquens. Hunc in modum non præcipitanter et inconsiderate, sed cunctanter et prævia consideratione loquendum. Hoc est quod docuit Eccles. c. XXXII. *Adolescens loquere in causa tua vix, (ægre*

*et tarde scilicet.) Si bis interrogatus fueris, habeat caput* (id est, summam vel rationem) *responsum tuum, q. d. prius bene pondera, quid respondeas, postea responde succincte et cum ratione. Idcirco enim natura duas aures et unum os ac linguam dedit homini, ut his audiret, priusquam semel loqueretur: nec docere antequam discat, audeat. Hinc Deus dicitur, Ezechieli, c. XVI. §. XII. dedisse in aurem super os ejus: Dedi in aurem super os tuum. Sed quid in auris ori servit? Quia prius audiendum quam loquendum. Ergo permittit Deus comptulis gerant in aures sed in ore, non in auribus: hoc illorum ornamentum est. Evagrius a quodam sene dogma salutis petens, hoc responsum tulit: *Si vis salvari, quando ad aliquem vadis, non prius loquaris, antequam te ille inquirat, in vitis pp. lib. V. c. XIX. de discretionem. Fac hoc mi adolescens, et quicumque alius, et multum tibi proderit ad salutem comparandam.**

V. Obsequenter; ita nimirum respondeas cum interrogatus fueris: non malitiose taceas. Ita Christus, sui licet potestatem habens, interrogatus cur solus remansisset, non abnegat responsum: sed velut morigerus filius respondet, ac rationem reddit: qui cum Deus esset, et jam tum inter doctores in honore et admiratione foret, non dedignatur respondere parentibus, et subijcere se illis. Contra hoc agunt illi, qui ex perfricta fronte vel malevolentia interrogati non respondent: uti Cain, qui a Deo rogatus: *Quare iratus, et cur concidit facies tua? ex contumacia et contemptu ne verbum quidem respondit, tegens iram suam; iterum interrogatus: Nonne si bene egeris, recipies? Sin autem male, statim in foribus peccatum aderit? Nequid respondet vel unum verbum. Ad extremum interpellatus: Ubi est Abel frater tuus, respondit nequiter: Nescio, cum tamen ipsum occidisset, et occisum abscondisset. Et non absimiles fuere Pharisæi, Luc. XIV. Interrogati enim a Christo: *Si licet sabbato curare, malevole tacerunt, parantes accusationem et clam indignantes; similes canibus dolosis, qui non allatrant advenas, sed incautos mordent. Non respondere filios parentibus nec loqui, cum jubentur, eos est despiciere, et imperium illorum flocci pendere. Scimus autem quid dicat Sapiens, Prov. XXX. *Oculum qui subsannat patrem, effodient eum corvi de torrentibus. Doctor hujus silentii est dæmon, ut ostendit B. Petrus Damiani, in epist. XXI. ad Damianum monachum, l. VI. epist. de quodam Mariano monacho, qui a dæmone in formâ angeli lucis sibi apparente edoctus, ne, qui cum angelis loqui consuevisset, deinceps loqueretur cum hominibus, protinus silentium sibi indixit, ut nec cum fratribus,***

*nec cum superiore suo loqui vellet amplius. Quare abbas in cellulam ejus vi irrumpens, flagris eum cecidit, usque dum loqui compelleret; sicque delirantem ad sanam mentem reduxit. Neque melius remedium parentes adhibere possunt ad contumaces filios, ex malitia silentes, ut loqui eos doceant, cum loquendum est.*

VI. Sedate; ut Christus, dum per modum nescientis vel dubitantis interrogat: *Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis, etc.* non ait: Non debetis me quærare, sed cogitare potius, etc. non sic, sed quasi dubitando, vel potius ex humilitate mirando, cur pro ipso tam solliciti essent, eo quod in custodia sui Patris esset. Sic etiam inter doctores loquebatur, interrogans nimirum et interrogando humiliter eos erudiens. Ergo boni filii, quando parentibus aliquid insinuare volunt, etiam quando ipsi errarent, modeste id faciant, per modum interrogationis, vel applicationis, non reprehensionis aut obijurationis. Sic Jonathas iratum patrem facile placavit loquendo pro Davide: *Ne pecces rea in David servum tuum, quia non peccavit tibi, et opera ejus bona sunt tibi valde. Quod cum audisset Saul, placatus voce Jonathæ juravit: Vivit Dominus, quia non occidetur, I. Reg. XIX. Contra quando postea, cap. seq. acerbis patri dixit: Quare morietur? Quid fecit? iram patris in se derivavit atque armavit, ita ut Saul arripere lanceam volens percutere eum. Bene igitur Sapiens, Prov. XV. ait: *Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitât furem.* Sic Philippum I. christianum imp. in ludis publicis indecentius cachinnantem Philippum filium vultu averso tantum notavit, Borel. Viet. in Philippo, apud Baron. an. 249. Impegit e contra in hoc graviter adolescens quidam nobilis Flexiæ in Gallia natus, quod ex recenti memoria et teste oculato P. Henrico Compegio soc. nostræ scribit Philip. Doultreman. p. I. pædag. christ. c. VI. § III.*

« Hic cum a parentibus tantum pecuniæ, quantum petierat, non accepisset, litteras ad eos dedit conviciis ac maledictis plenas. Sed eas vix miserat, cum subito ita omni audiendi facultate spoliatus est, ut ne vel tormenti bellici fragorem perciperet. Malo isti diu quæsitâ per Galliam remedia, sed frustra. Statuit ergo adolescens a cælo petere, quod in terra negabatur. Eam ob rem Lauretum, ad misericordiæ Matrem prope rat, ubi positus rite anteaetæ vitæ maculis, indicisque sibi novem dialibus, in sacra B. Virginis æde, precibus, Deum per Matrem placare aggreditur. Proxime aderat dies, quo ejusdem S. Virginis in cælos assumptæ memoria colitur solemniter, cum in ejusdem diei pervigilio se-

cundum quietem nocte videre sibi visus est matronam augusta specie cum utroque parente cubiculum ingredientem et ab his perconctantem: *Essetne iste eorum filius? Quibus annuentibus, accessisse ad lectum: immissoque in aurem digito, chartam eduxisse, et explicatam proposuisse: legisse vero ipsa impietatis suæ carmina, quæ nuper parentibus exarasset. Super quæ evanescente viso expergefactus adolescens, restituito in integrum auditu ad p. Compegium sibi a confessionibus occurrit, et in ipsa sacra Virginis Mariæ æde jurejurando rem sibi evenisse testatur, an. 1613. » Diogenes in quemdam, qui patrem suum despiciebat, ait: *Non te pudet contemnere eum, cui debes hoc ipsum quod tibi places, Laert. l. V. Et Plato videns quemdam, apud patrem suum fastuosum agere ac loqui: Non desines adolescens, inquit, illum contemnere cujus gratia altum sapere vis? Stobæus, serm. LXXIII. Parentes præsertim senes maximam sentiunt consolationem ex modestis et dulcibus filiorum alloquiis. Et sicut fructus arboris vitæ in paradiso prorogasset vitam hominibus, sic liberorum humiles sermones prorogant quasi vitam parentibus. Unde Prov. dicitur: *Lingua placabilis lignum vitæ.***

Audivimus magistrum eloquentiæ Christum, vidimus etiam artis hujus non parvam difficultatem. Quare imprimis juvenes incipiant tempestive et a teneris artem hanc addiscere, postea in adulta ætate vix amplius comparandam. Sententia est antiquorum, infantes qui exacto triennio non loquuntur, postea lingua præpedito fore; unde silentium picturi, scribebant numerum 1093. (tot enim sunt dies in triennio) in hoc hierogl. Pari modo, qui in pueritia et juventute bene loqui non addiscit, reliqua vita male loquetur: *Puer autem centum annorum morietur, inquit Isaias, c. LXV.*

## CONCIO III.

QUOMODO AMITTATUR CHRISTUS IN DIEBUS FESTIVIS. I. Amittitur labore servili. — II. Nundinatione et simili negotiatione. — III. Comotationibus et conviviis. — IV. Vestium luxu. — V. Ludis et choreis. — VI. Otio et ignavia.

## THEMA.

*Remansit puer Jesus in Jerusalem et non cognoverunt parentes ejus. Luc. II.*

Mira res, auditores, in solemnibus paschatis festis Christus amittitur. Nonne si toto anno perditus fuisset, in paschate, ubi omnis Judæorum popu-